



UNIVERSITÄTS-  
BIBLIOTHEK  
PADERBORN

**Jus Canonicvm R.P. Pavli Laymanni, Soc: Jesu Theologi, Et  
Olim In Alma Et Episcopali Academia Dilingana SS.  
Canonum Ordinarii Professoris**

**Laymann, Paul**

**Dilingæ, 1666**

Capitvlvm III. Vbi periculum.

---

[urn:nbn:de:hbz:466:1-62559](https://nbn-resolving.org/urn:nbn:de:hbz:466:1-62559)

tit. iuncto e. publicato 58. hoc tit. in antiq. electio mox celebrari possit, ac debeat. Cæterum, qui minus legitima suffragia dederunt, antequam scrutinium publicatum sit, ea corrigere possunt, argum. cit. e. publicato, & tradunt hic Ioan. Andr. Dominic. Anton. Francus, & alij circa Gl. ver. residente.

## CAPITVLVM III.

## Vbi periculum.

## PARAPHRASIS.

Quandoquidem vbi maius periculum impendet, ibi diligentius prospiciendum; constat autem grauius pericula inde provenire posse, si Romanam Ecclesiam longo tempore vacare contingat: Idecirco Innocent. IV. Pontifex in eod. Concil. Lugdunensi cap. 2. in primis confirmat ea, quæ ab antecessoribus suis, præsertim ab Alexandro III. in c. licet de vitanda 6. hoc tit. in antiq. de Romani Pontificis electione decreta sunt; quædam adijcienda esse, necessarium iudicat.

Primum. Ut Cardinales elapsis decem diebus post mortem Pontificis (si ea in ciuitate accidat) qui præsentibus tunc sunt, ad conclaue palatii, in quo Pontifex habitauerat, se conferant, & inde non egrediantur, donec electio peracta sit.

Alterum. Sub pena excommunicationis ipso facto incurrendæ, prohibetur, ne quis Cardinalibus, aut vni eorum scripturam, aut nuncium mittat, vel cum aliquo secretè loquatur, quamdiu in palatii conclaui congregati sunt.

Tertium. Si Cardinales intra triduum, posteaquam conclaue ingressi fuerunt, Ecclesiæ non prouiderunt, quinque se-

quentibus diebus vnum tantum eis ferendum tam in prandio, quam in cena præbeatur: sin autem neque per hos dies electionem perfecerint, præter panem, vinum, & aquam, nihil ipsis ministraretur, donec prouisio illa seu electio subsecuta sit.

Quartum. Cardinales nihil omnino ex Camera Pontificis, nec quippiam aliud ex Sedis vacantis obuentibus recipere aut vsurpare sibi debent, sub pœna suspensionis ab omnibus redditibus, donec quod acceperint, plenè restituant & satisfaciant.

Quintum. Si accidat, Pontificem extra ciuitatem, in qua cum Curia sua residebat, vitâ excedere, teneantur Cardinales egredi ad electionem in ea ciuitate, in cuius territorio Pontifex obiit, aut, si id fieri non possit, in alia vicina peragendam. Similia habentur in Constit. Nicolai II. Papæ c. 1. d. 23.

Sextum. Dominos, Rectores, & Officiales eius ciuitatis, in qua Rom. Pontificis electio celebranda, Apostolicæ Sedis auctoritate, quæ prædicta sunt, obseruari faciant; sed amplius aliquid attentare non præsumant, idque sub grauibus, ibi adiunctis, pœnis.

Septimum. Omnia pacta, obligationes, & iuramenta, si quæ inter Cardinales fiant, (puta de certa persona, aut ex certa aliqua natione, vel ciuitate, in Pontificem eligenda) penitus cassantur.

Octauum. Audita morte Rom. Pontificis, in ciuitatibus, aliisque locis insignibus, exequiæ celebrandæ sunt; & præces quotidie à Fidelibus ad Dominum Deum fundendæ, pro concordia & Ecclesiæ vtili noui Pontificis electione, donec certus de ea peracta nuncius auditus sit.

## AD LECTOREM.

*D*estinauerat R. P. Paulus Laymann vniversum Ius Canonicum doctissimis suis Commentariis illustrare, sed desinat a exequi non licuit; ea enim mors præmatura Authoris abruptit in limine Operis, ita vt præter illa, quæ ad primi libri Decretalium sex titulos, eosque non omnino integros hæctenus legisti, aliud tibi ex his ad nos peruenierit.